

Christi, non vero compotores Centaurorum et Lapitharum.¹³⁴ Ideo huic ritui singularis addita est promissio de conseruatione ecclesiae vsque ad vltimum diem iudicij, vt sciamus ibi futuram esse veram ecclesiam, vbi sonat vera vox ministerii et legitimus est vsus sacramentorum et vt nos segregemus ab illo coetu, qui vocem doctrinae corrumpit et stabilit idola in abusu et profanatione huius coenae. Ita simul finis huius ritus est, vt sit nota ecclesiae distinguens coetus piorum ab idololatriis sicut Corinthi Paulus cum suo coetu distinguebatur a conuiujs idololatrarum voce doctrinae et hoc symbolo communis foederis. Ita omnibus temporibus ecclesia hoc signo confessionis ab omnibus impijs coetibus sese segregat.¹³⁵ Interea tamen fines subordinati et succedentes non obscurent primum et principalem, de quo dictum est.

Exposuimus ferme summam verae et simplicis sententiae de coena. Sed reliquum est adhuc vnum caput, quod nos commonefacere potest de curiositate et improbitate plurimorum hoc tempore in ecclesia. Vulgare peccatum est in vita praetermissis necessarijs incumbere in parerga. Ita, cum conueniebat nos in hac causa quaerere, quid Christus promiserit et exhibeat pijs, plerique de hac parte vix aut pauca verba faciunt. Interea magnos acervos paginarum implent acerbissimis rixis et scire volunt a parte aduersa, quid detur pani et quid accipiant impij vel increduli. Prae se ferunt autem quidam ex istis inquisitoribus esse quaestionem magni momenti. Plurimum enim referre, vt sciamus, quid contingat impijs, vt hoc modo fugiamus pericula et poenas indignae manducationis. Respondeo: Valde perspicuum est, quae sit digna manducatio. Promissio euangelij de beneficijs Christi et hic ritus, qui promissionis est testimonium, requirunt fidem. Sed fides nequaquam accenditur in homine perseuerante in peccatis contra conscientiam. Necessae est igitur in vera conuersione hominem expauescere cogitatione irae Dei, [38:] cuius magnitudo praecipue ex morte Filij Dei agnoscitur, agere poenitentiam, fide rursus erigi et vere statuere propter hanc victimam placatam esse iram Dei, remitti peccata propter Filium et per eum dato Spiritu sancto credentes viuificari noua et aeterna vita et horum beneficiorum testimonium et pignus esse hanc sumpcionem. Indigne manducant, qui nec poenitentiam nec fidem afferunt, sed vel ex consuetudine profana aut etiam cum opinionibus idololatricis ad hanc sacram coenam accedunt. Manifestum est igitur, qualis scrutatio necessaria sit nempe, an sit in nobis malum propositum, an sit poenitentia, an fides accedens ad Deum fiducia mediatoris.

Verum multi non acquiescentes in hac simplici sententia acerbe quaerunt, quid sumant impij, et in hac quaestione cardinem rei verti dicunt. Inde enim certissimum fieri posse indicium, an quis recte vel secus de essentia coenae sentiat et hos solos esse catholicos, qui affirmant corpus Christi accipi etiam ab impijs. O miseram ecclesiam, cui hoc, quod substantiale vel essenziale est

¹³⁴ Vgl. Anm. 10.

¹³⁵ Philipp Melanchthon, *Loci praecipui theologici* (1559), in: CR 21, 862 (MWA 2/2, 520, 22–24).